





5

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**ANIMA NEC COGITAN-  
TE, NEC VOLENTE, CORPUS  
SUUM INTERNUM MO-  
VENTE,**

Ob die Seele ihren Leib innerlich ohne Wissen und Willen bewegen könne?

*Quam.*  
AUSPICE DEO PROPITIO,

*Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P RÆS I D E*

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO. ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.  
SORE PUBLICO ORDINARIO, etc.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,  
*Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

**PRO GRADU DOCTORIS**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE.  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LUCOQUE CONVENTIS,

ANNO MDCCXLIV. D. AUG.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET

RESPONDENS

**GEORG GOTTFRIED WENDT,**  
HALENSIS MAGDEBURGICUS.

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.*



ALDINUS ALDUS MUS  
MELIORIS QVI A MIA  
ZURQ. C. D. G. T. C. S.  
M. M. M. M. M. M.  
H. H. H. H. H. H.  
A. A. A. A. A. A.  
L. L. L. L. L. L.  
T. T. T. T. T. T.  
G. G. G. G. G. G.



## PROOEMIUM.

**D**E Anima, eaque nec divisa vegetativa, nec distincta sensitiva, sed intellectiva, aut rationali differere velle, arduum utique videtur esse tentamen, quia subjectum hujus contemplationis valde absconditum & intricatum apparet, unde nonnulli antiquissimorum con- & professi fuerant, quid anima sit, nescimus, quid possit, non intelligimus: ob id Psychologiam aut dubiam, aut fallacem, aut obscuram esse, facile quis arbitrari potest: sed quis eapropter adeo abjecti & diffidentis animi esset, ut, quia in Pneumatosophia non crassi conceptus & manifestæ dominantur, aut formari possunt, præfigurationes, ideo de anima non nisi abstractæ & metaphysicæ considerationes institui queant: quemadmodum autem de differentibus subjectis non absolute communes & indiscretas, sed differentes formare possumus prædicationes,

ideo meditationes & observations de anima non promiscuis intellectus subsidiis, tractare, nec physicis qualitatibus dimetiri & dijudicare, sed talibus rationis adminiculis informare debemus, quæ subiecto & ideæ principali competunt: sicut perversus modus ratiocinandi esset, si quis simpliciter res corporeas nude spiritualibus causis & qualitatibus explicare, indeque Physicam & Medicinam mysticam, ut FLUDD, CARDANUS, HELMONTIUS, MAXVELLVS, PORTA aliique formare vellent; nam res spirituales spiritualiter judicari debent. Quandocunque autem de homine vel morales, vel physicas contemplationes instituemus, tunc utriusque partis, hominem constituentis, rationem habere convenit: quia anima humana non hominem, nec corpus hunc complete efficit: in omni enim foro grave omnino est *periculum animam negligere*, dicente PLATONE in *Phædone*, ideo in foro medico iniuum esset & præjudicium circa corpus tantum humanum & affectiones corporis versari & negotiari, & sibi aliisque persuadere, quod animæ tractatio ad Theologos, Moralistas & Metaphysicos saltim spectet: sed dum Medicorum occupatio ad hominem pertinet & tendit, sane in Medicis considerationibus animæ conciliatio negligi haud debet; huc enim pertinet quod CHRYSOSTOM. de recuperat. lapsi testatus fuit: *Si animam negligamus, nec corpus salvare poterimus, qui negligit quod primum est, & extollit, quod inferius est, utrumque corrupit; qui vero ordinem servat, & quod primum est colit, ille quod secundum est,* per

*per primi salutem servabit.* Valde vero illi nobis a veritate discedere videntur, qui in scrutinio vitæ naturalis omnem vim, præstantiam & capacitatem corporeis solum tribuant causis, animæ autem omnem potestatem, dexteritatem & directionem in corpore denegant, & quod magis est, in magnum illius, quippe nobilioris partis vituperium ac præjudicium sentiunt, animam nil aliud, quam derimenta, turbas, confusiones & damna corpori suo inferre posse, dum vicissim hoc corpus suo hospiti, animæ videlicet, organa & instrumenta ad utiles, necessarios & salutares actus & processus suppeditare debet; quo ipso asserto inversa plane via & contra ordinem divinum quod inferius & ignobilius est, videlicet corpus, nobiliori & superiori principio præfertur: huc itaque quadrat, quod Platonicus ille Philosophus MAXIMUS Tyrius diff. 41. p. 409. elocutus est: *anima corpori præfertur ab omnibus; jam quod præfertur bonum, mojus est:* quis itaque animam in conconomy hominis physica æque atque morali, adeo vilem, otiosam, ineptam & abjectam astumaverit, ut corpori plus, imo facile imperium in animam tribuat: quo referri potest illud SALVIANI Lib. III. contr. avar. p. 109. quis furor est, viles a vobis baberi animas vestras, quas etiam diabolus putat esse preciosas? quis furor est, viles a vobis baberi, quas etiam ille caras vobis debere esse dicit, qui viles facere conatur. Mutuum sane est officium animæ & corporis, & digniori principio digniores utique sunt tribuendæ qualitates: corpus etenim non sibi vivit, sed animæ, unde etiam cum PLA-

TONE sentimus Lib. 3. de Republ. mibi non videtur bene  
 affectum corpus vi sua bonum animum facere, sed contra  
 bene affectus animus, vi sua corpus, qua fieri potest, optimum reddere: sic a posteriori subiecto nobilior formatur praedictio. Concedimus & agnoscimus, unionem animæ cum corpore, in quo autem hæc unio consistat, id intelligere aut aliqui nolunt, aut pro mysterio, in hac vita abscondito, reputant; attamen si obscuræ, suppositæ, suppositiæ & effectæ causæ physicæ in œconomia naturali proferuntur, illæ aliquando pro veris declarantur, licet ubique demonstratio deficiat: v. g. si altisonis exclamationibus effertur liquidum nerveum, haud indagatio instituitur, an tale, quale supponitur, ens in rerum natura sit, an e cerebro effluat, an proportionato motu, modo, tempore, gradu, ordine, tramite, cursu, successu, constantia &c. suppositas suas excursiones servet, de quo multi ne dubitant quidem, licet nulla solida & sobria demonstratio pro salvanda tali assertione proferri queat: si vero alii asserunt, anima activum habet influxum etiam in nervos, cuius essentia vera esse agnoscitur, cuius virtus & influxus activus in suum corpus multis modis demonstrari potest, & jam tum demonstratus est, nihilominus vehementer huic asserto contradicitur; ratio decidens est, quia non distincte concipere possumus, quo modo ille influxus contingat: & quamvis influxum liquidi nervi æque distincte concipere nequeamus, tamen hic verus esse debet, quia negatur, animam in suo corpore regnare: & qui asserit, animam principium vi-

tæ naturalis esse, in errore versari judicatur: Ut ut autem varia de anima attributa, crassis repræsentationibus aut figurabilibus ideis demonstrari nequeunt, talibus tamen causis, quæ animæ & intellectui nostro conveniunt, demonstrari possunt, æque ac multa attributa & phænomena in physicis non exæste & ad sensum demonstrari possunt, quæ tamen aliis ratiociniis omnino probari possunt: quare hoc referri potest, quod SENECA elocutus est Lib. VII.  
 nat. quæst. c. 24. *Multa sunt, quæ esse concedimus, qualia sunt, ignoramus: babere nos animum, cuius imperio & impellimur & revocabuntur, omnes fatebuntur; quid tamen sit animus ille rector dominusque nostri, non magis tibi quisquam expedier, quam ubi sit.* Tanta itaque est actio animæ in corpus, ut in variis casibus & phænomenis ad sensum velut demonstrari queat, quomodo autem illa actio ex anima egrediatur, in corpus ingrediatur & per corpus progrediatur æque minus crasse concipi potest, ac receptivitas corporis ad subeundas illas actiones, aut communicatio & progressio motuum per corpora: quis autem posterius præfraet & contumaciter negaverit, quia modum fiendi & procedendi non concipit: quasi crassus sensus & conceptus humanus sit Summus ille arbiter & Judex absolutæ & perfectæ veritatis: quare ISIDORUS PELUSIOTÆ Lib. IV. ep. 125. f. inquit: *communio quadam ac societas ineffabilis est animæ incorporeæ cum corpore, & inenarrabilis consensio arque affectio munero inter immortalem substantialiam & mortale instrumentum, ut ipsi Platoni quoque videtur.* Hæc meditatio  
 per.

permovit me, ut præsenti Inaugurali Specimine thema brevi explicatione, quod ANIMA NEC COGITANS, NEC VOLENS, CORPUS quippe organon ac domicilium suum, *moveare rationem queat*, commendem. Cui conatus ut Deus Benignissimus cœlesti suo adjumento annuat faveatque humilis precibus contendō.

## §. I.

 n præsentis thematis tractatione mox in memoriā incidit effatum APULEJI de Mundo p. 128. dicentis: *Anima in homine non videtur & tamen fareantur omnes necessè est, hujus opera omnia, quæ per hominem præclara sunt, provenire*, i. e. multa ab anima peraguntur negotia, quæ æque minus *craſſo* comprehendimus sensu atque conceptu, ac si frivole concludere velimus, quia non *videmus* animam operari, ergo non operatur, quia perspicue & *sensibiliter* nobis non *repræsentare* possumus, *quod & quomodo* anima in *cerebro & externis sensoriis* operosa sit, ergo anima *nec intellectum, cogitationem, recordationem, imaginationem, aestimationem, comparationem, dijudicationem, desiderium, voluntatem, nec visum, auditum, gustum, olfactum, & tactum perficit & operatur*: quam apposite enim ARISTOTELES Lib. 2. de *Anima*, hanc *principium & non principia, quo vivimus, sentimus & intelligimus*, vocavit, tam male postea ejus sequaces, entia præter necessitatē finixerunt, *multiplicarunt & in animam sensitivam, vegetativam & intellectivam separarunt & diviserunt*, quam divisionem refutavit Job. BODINUS Lib. IV. in *theatr. naturæ*,

turæ, ubi p. 485. 487. 489. de anima agit, & SENNERTUS  
hypomnem. phys. IV. c. 13 dicit: *invenimus veritatem maxime  
consentaneum esse statuere in homine unam esse animam, ra-  
tionalēm scilicet virtutibus ratione omnium inferiorum esse  
instructam & facultate sentiendi & vegetandi esse prædiram:*  
& propter hanc solam, simplicem ac genericam faculta-  
tem videlicet activam & motricem PLATO animam voca-  
vit *essentiam se moventem*, & quia *facultatem movendi ha-  
bet*, ideo etiam facultate *acquiescendi*, aut a motibus desi-  
stendi prædicta est, in quam propterea definitio Naturæ  
Aristotelica cadit, quod sit *principium motus & quietis*:  
Et huic animæ rationali tribuit ARISTOTELES Lib. 7. Me-  
taph. quod corpus humanum sanum reddere queat, asse-  
rens *ex sanitate in anima, fit sanitas in corpore*, propter  
ea ibidem *utile esse prædicat, corpus regi ab anima Lib. 1.  
de anim.* nam *egrediente anima ex corpore, corpus expirat  
& morcescit*, idem inquit, velut GARMANNUS Mirac.  
*More. Lib. 2. tit. 7. s. 125.* exprimit, *præsentia animæ  
animat, seu vitam conciliat, absentia mortem;* non ob-  
stante altero asserto, ad statum *præternaturalem* referen-  
do, quod morbi insuperabiles & immedicabiles corpo-  
ris, *necessitatem etiam animam corpus suum desercere*.  
Hæc assertio *animam rationalēm* principium seu causam  
efficientem *vita & sanitatis* naturalis esse, multis contra-  
dictionibus obnoxia est, & de eadem valet illud Judæo-  
rum Romanorum in *Ad. Ap. c. ult. v. 22.* quod eidem  
ubique contradicatur, quia corporis aestimatio, quippe  
subjecti inferioris & indignioris contemplatio, majorem  
& benigniorem impetravit favorem, quam animæ, quippe  
principii nobilioris, ideo præsentis thematis nervum

B

&amp;

& valorem paululum dispiciemus & inquiremus; inter illa enim argumenta, quæ prædictæ sententiæ opponuntur, hoc maximi momenti, stringens, invincibile omniumque assensu firmum atque probatum esse judicatur, si *anima rationalis natura*, aut principium vitale esset, tunc *operationum suarum internarum vitalium & naturalium conscientia* esse deberet, quicquid enim illa suscipit, id *deliberato consilio sciens, cogitans, annuens, attendens & intendens peragit*, illud *reflexivo rationis actu sibi representat*, sive cogitatione talum actum comitatur & dirigit: præterea autem negotia sua *arbitrarie & voluntario suscipere, intendere, mutare, corrigerre, minuere, omittere potest: neurum vero horum animam posse in illis functionibus vitalibus & naturalibus, nullarum distincte conscientia* esse, nihil omnium horum sibi præfigurare posse, de nullo cogitare, nec ullum jus arbitrarium in talia habere officia: si enim *rationalis* esset anima, cur tam *perveros motus fluidarum & solidarum partium susciperet, cur cruciatus, dolores, spasmos, convulsiones, orgasmos, & varia alia eminentia crearet incommoda, cur non haec omitteret, & omnes alias inordinatas & periculosas alterationes & offensiones pro lebitu corrigeret*: ast quoniam in *morbis* omnes tales afflictiones *non sub imperio scientiae & voluntaris rationalis* consistunt, ideo haec opera *nec rationalia*, sed turbulentia esse, *nec ab anima illa, sed aliunde* dependere: & hanc objectionem adeo evidentem esse, ut doctrinam illam, quod *Anima rationalis Natura sit, funditus prosternere, destruere & infringere dicatur: Ast bona verba quæso!* audiatur & altera pars! fugitivo intuitu & plebejo judicio haec *oppositio*

sitio vim probandi habere videtur, sed in curationi scrutinio, forsitan aliter sentiendum erit. Quamvis hanc controversiam DD. PRÆSES in *dissert. de Natura vitam & sanitatem formatrice* tetigerit, & passim saepius ventilata, evoluta- & discussa fuerit, tamen hoc loco seorsum hanc dissensionem inquirere placet, ne huic dubitationi præcipitata & cœca tribuatur fides.

## §. II.

In hujus thematis *speciali* deductione præmittere & præmonere debemus nonnullas *infallibiles* veritates, quæ ad præsentem explicationem & demonstrationem applicari possunt. Anima humana *variis* facultatibus gaudet, ex illis quedam ad operationes *mentis*, aliæ ad *corporis*, quippe domicilii sui, usum pertinent: e prioribus imprimis constant ratio seu *intellectus*, ratiocinatio seu *cogitatio*, aut reflexiva, distincta idearum & objectorum repræsentatio, *imaginatio* seu phantasia, *memoria*, seu reminiscientia aut recordatio, *judicium* cum quo comparsatio, relatio & aestimatio rerum aut idearum conjuncta est, tandem appetitio; desiderium & *voluntas*: qualibet harum facultatum habet suos ordines, *gradus*, *limites*, culturam, accrementa, decrementa, tempora, modos, processus in *genere* & in *individuis* annotanda, conferenda & distinguenda: ita *intellectus* non habet *absolutum* jus in cognitionem, nam *non omne*, quod anima ratione assequitur, & in *abstracto* & obscurius intelligit, mox *perspicere* comprehendit, nec etiam ita *exquisite* intelligere potest, licet omnes animi sui nervos intendat: v. g. ita intelligit *notiones entis*, *essentiae*, *formae*, *natus*, *vis*, *habitus*, *motus*, *spiritus*, *modi*, *temporis*, *existentiae*, *poten-*

tia &c. quid autem quaelibet harum idearum in sua *propria* natura, indole & specie sit, *ratiocinatio* distincte comprehendere haud potest: ita enim sapientissimus creator *cujlibet* facultati *formam*, *normam* & *sphæram* constituit, quam sciolus animus affectata sua sapientia *transgredi* haud potest; & si harum idearum *distinctum* conceptum urgere velimus, non nisi *lusus verborum* & *peritio principii* emergeret: sic etiam *sapores*, *odores*, *colores*, *sonitus* &  *tactus* cum suis speciebus rationi quidem *simplici* constant, si vero *anima*, quia *intelligens* est, propterea cogitationem aut *distinctam* ideam & cognitionem de dulci, amaro, acido, austero, acri, acerbo, nidoroso, fragranti, vaporoso, empyrevmatico, balsamico, suavi, dulcescente, rubro, candido, nigro, viridi, claro, obtuso, tremente, crepitante, stridente, duro, molli, aspero, laevigato, acuto, obtuso &c. formare & urgere contenderet, frustaneum & ridiculum negotium fusciperet; nam cum philosophia corpusculari, & fanaticismo physico, sive microscopica illusione perspicuum illico conceptum fingere & pingere velle, idem esset, ac eandem fabulam ludere, aut obscurum per æque obscurum proferre, & cum speciosis verbis ludere: Ita etiam ratiocinatio seu *cogitatio* æque limitibus ac gradibus suis circumscripta est, nec *omnium* idearum *distinctam* repræsentationem, quantumcunque etiam vellet, formare & elicere potest, sed perinde a creatore suos habet *limites*: v. g. de *nonnullis materiis*, & materialibus *qualitatibus* mens sibi *distinctas* ideas formare potest, de *Spiritibus non* idem: quod menstrua *corrosiva* metalla solvant, *imaginatio* quadantenus concipere vult & potest, quod

quod vero *non omne* tale menstruum *aurum* solvat, quod *unum* metallum *citius & faciliter* solvat, quod cum non nullis sine strepitu, cum aliquibus cum *ebullitione* conve-niat, si *fictiones* evitare volumus, *difficulter* aut plane non *reflexivo* actu cogitationis concipere possumus. Sic et-iam *Memoria* vis *limitata* est, & non nisi *ordinem, nexus* & *seriem* *idearum* requirit, *hanc* tamen *indiscreta, universalis & promiscua* est: Et quam saepe *dijudicationes* *humanae ambiguae, dubiae, tergiversantes, titubantes, aut fictae, suppositae, erroneae & suspensae* sunt. Si quis por-ro *ordinem* illum a Deo in natura rei fundatum inverte-re, & ideo prius ideas *dijudicare, deinde intelligere* vellet, quia anima intelligens est, quæ non inde proveniret *confusio* omniumque veritatum oppressio: unde potius *ille ordo* observari debet, si ex ulla operatione animi ve-rum & utile quid expectandum esset. *Erronea* itaque esset conclusio, quod valet & potest anima in *nonnullis*, id valet in *omnibus*. Ita enim Sapientissimus Creator vi-res, ordines, gradus, fines, terminos, nexus, transitus, concursus instruxit; alias *qualibet* harum facultatum *do-minium super alteram* sibi arrogaret; unde nonnunquam *deliria* eruditorum ortum trahunt: si quis enim *ordines* facultatum mentalium *inter se* perperam *commiscere, & distinctum* conceptum urgere & eruere nititur, ubi tamen & vires, & viæ, & media, & regulæ, maxime omnium autem leges, ita dictæ divinæ deficiunt, is in inextrica-bilem labyrinthum, *confusionem & dementiam rueret.*

## §. III.

Præterea occurruunt etiam certa & distincta *media, adminicula & methodi*, quibus illæ *discreta* facultates

animi congrua cultura *adjuvari*, augeri, *promoveri* &  
 emendari possunt, quae propterea *inter se* æque minus  
*confundi* debent; ut, qui facultatem *intellectus*, aut *ima-*  
*ginationis* sublevare & dirigere contendit, non consilia  
 & auxilia *mnemnevica* & relationum atque *comparatio-*  
*nium*, unde adæquata *conclusio* formari potest, adhibeat,  
 alias *pervarse* procederet, & ἵστορη περίτεχνος permiseret:  
 quare in hac *methodologia* Deus, quippe author, fautor  
 & protector *ordinis*, *justum processum* instituit, quem  
 etiam cœlesti sua benedictione comitatur: cuius *ordinis*  
*violatio* nunquam *prosperos* promittit successus; ut ita in  
 eodem negotio nec liceat, nec conferat *saltus* extra cho-  
 ream committere: dictu enim facile est, si anima est ratio-  
 nalis, methodus autem *mnemnevica*, *ingeniositatem* &  
*judicium* excolens & adjuvans, est rationalis, ergo eadem  
 est, quæ methodus *Logica* existit; quæ confusio sane  
 omnino evitanda esset, quia veritatem opprimit & cor-  
 rumpit. Porro anima *suis facultatibus* mentis *non libe-*  
*rum*, *absolutum* & *indiscretum* habet influxum, ubi nec  
 ullam unquam obtinuit *institutionem*, nec suscepit *exer-*  
*citationem*, testimonio quotidiano linguarum & discipli-  
 narum, quas ita *promiscue* anima proferre *non* potest; si  
 quis enim subsumeret, quia animam rationalem habes,  
 intelligisne propterea res novas & nunquam auditas, cur  
 non cum æthiopico illo viro evnucho regereret, *quomo-*  
*do possem, si non aliquis dux via mibi fuerit, Ad. VIII. 31.*  
 aut si quis ratiocinetur, quando homines quidam in *Ec-*  
*stasi naturali* linguas *peregrinas* loqui potuerant, quas  
 nunquam didicerant, *vid. ZWINGERUS Theatr. vit. hum.*  
*§. 224.* aut ex vermbus *egrotantes* simile quid *præstite-*  
 rant.

rant. vid. SORBERII *obseruat. curios.* p. 87. CARDANUS  
 de variet. rerum Lib. 8. c. 43. SCHENCK. Lib. 3. CAMER-  
 RIUS in *Syllog. memor. Cent. 9. part. 26.* PAULLINI *Lora-*  
*Satura dec. 4. obs. 1.* aut ob *Mensum irregularem* statum  
 idem peregerant. vid. D. PRÆSIDIS *disp. de Mensum*  
*anomoliis convulsivis.* Si quis propterea inferre vellit,  
 quod valet de uno, id valet de altero: ita etiam *infan-*  
*tes recens nati* habent animam rationalem, cur non lo-  
 quuntur, philosophantur, & actus cultioris intellectus  
 proferunt, uti HENR. MULLER in *Danc. Altar IV. Un-*  
*vadacht* p. 81. inquit: Wer macht so einen albernen Schluß:  
 Das Kind an den Brüsten empfindet keine Vernunft,  
 darum hats keine: Der Mensch in Ohnmacht empfindet  
 kein Leben, darum ist auch keines da. Inde autem con-  
 cludere licet, quod anima rationalis *non pro lubitu*, ac  
 frivolo instinctu habitum & vires suas *mox in actum* du-  
 cere queat, sed quod *ordines*, diuinitus institutos, obser-  
 vare & *secundum illos* operari debeat, etenim a facultate  
 intellectus & cogitationis in anima præsente & præstante  
 non necessario judicare & concludere licet, quod in  
*omnibus* actibus intellectum & cogitationem exercere &  
 applicare debeat & possit, v. g. quod ex nihilo aliquid  
 factum & creatum sit, cum ratio judiceret, ex nihilo nihil  
 sit; aut quod miracula extra, supra, imo contra vires  
 & qualitates contingant; inde exclamaciones dieß sey  
 über den menschlichen Verstand, man könne es nicht verste-  
 hen, begreissen: ita intellectus non capit, quod sit vis mo-  
 trix in causa movente, quæ sit genesis motus, quis sit  
 exitus aut separatio motus a causa movente, quid in in-  
 tima & propria essentia sit motus, quis sit ingressus mo-  
 tus

tus in materiam, quæ sit progressio ejus per materiam, cohæsio illius cum materia, secessio a materia, exitus e materia, transitus e materia in materiam, tandem, abitus motus &c. ut huc quadret illud *Job. III, 8.* *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed non nosci, unde venias, & quo vadis.* Quid porro anima rationalis cogitat, quando major copia acidi salis communis cum mercurio coalescit, quod corrosivum inde proveniat subjectum, & si major mercurii & minor acidi fuerit quantitas, temperatum inde oriatur productum, nisi hoc ex effectu colligere & intelligere debeat. Si itaque anima est intelligens & cogitans, cur *talia non indiscretim* intelligit, & pro nutu suo de eo cogitat: inde itaque constat, quam *varia* animæ contingent, quæ a *priori* per *genuinas* & *proximas* suas causas intelligere non potest, attamen ex *effectibus*, causarum nexu, & *magis evidenteribus* momentis agnoscere valet: *nec etiam hic voluntas* animæ quicquam valet; licet enim hæc toties vellet, omnesque nervos intenderet, ut talia intime inteligeret, haud tamen ad lubitum illius negotium succedit; inde constat animam suis *viribus certis finibus circumscriptram* & *ordinibus adstrictam esse*, dum *cogitatio* & *voluntas non absolutum imperium possidet*, quo *omnes mentales actiones secundum illarum nutrum & moderamen fieri debeant.*

#### §. IV.

Dum igitur jam rationalis anima quoad *principaliores* & *superiores*, easque proprie intellectuales & *spirituales* operationes *strictis legibus & methodis addicta est*, quidni idem *generalis* ordo in *inferioribus & mixtis operationibus* observandus sit, quis illico sibi persuadere patiatur,

tiatur, quod anima *majori* jure & imperio potiatur, &  
 si quid quoad illas actiones peragit, aut perficere dicitur,  
 id *cogitatione* & *voluntate* sua gubernare & dirigere de-  
 beat; etenim operationes, quas cum *organis* sui *corpo-  
 ris* suscipit, *mixta* nobis dicuntur, dum facultatem suam  
*motricem* ex sua *essentia* corpori suo per eandem virtu-  
 tem communicat, qua Deus *commercium* inter *motum* &  
*materiam* constituit & introduxit, ita, ut ex *essentia animae*  
*motus egreditantur*, & sint *operatio* illius ad *essentiam cor-  
 poris* transiens, *banc officiens*, atque impellens, & ut  
*actus* in *talibus organis non a corpore* proveniat, sed ab  
*illa anima*: nec necesse erit hic per ambages vagari &  
 afferere animam *non immediate* afficere corpus; cur?  
 quia est anima, spiritus, ens simplex? quae præsumptiva  
 ratio olet petitionem principii: quasi ens simplex non  
 possit convenire cum ente duplici, aut composito: hinc  
 asylum & provocatio ad *liquidum nerveum spirituosum*,  
*subtile materiale*, aereo æthereo - elasticum, cum quo  
 prius *anima vis morrix* convenire & mediante hoc tandem  
 in *corpus* expansum, *solidum*, extensem, compositum &  
 congregatum transfire dicitur, jam dudum a *sobrijs men-  
 titibus* seposita & rejecta fuit, quia non modo *anima* cum  
 ente essentialiter *materiali* congredi deberet, sed adhuc  
*majus onus* ipsi incumbereret, si per tales stupidos spiritus  
 ad certum finem operari necesse haberet, quam si *ipsam* *negotia*  
*proxime* illa administraret: Quoniam autem *bosce*  
*motus anima* generat, quid queso de hoc orru & progressu  
 illa *cogitar?* licet *rationalis* & *cogitans* sit; unde non *indi-  
 sceretim omnes suas operationes* sub *imperio cogitationis*, aut  
*repræsentationis* habet: ipsa ut plurimum in vulgatis, quo-

tidianis & consuetudinalibus suis negotiis ideas format,  
 componit, connectit & ita ordinat, ut sibi ipsi & aliis  
 inde usus certus & efficax emergat, attamen de illo actu  
 nihil cogitat. Perpendamus duntaxat *loqueland*, quid  
 anima *rationalis*, quæ in *aliis* operationibus cogitans est,  
 quando *libere* articulata & distincta voce animi sui sensa  
 exponit, in eadem *cogitas de communicatione idearum sua-*  
*rum in organa loquela*, pulmonum videlicet, tracheæ, gut-  
 turis, linguae, labiorum, dentium, maxillarum: quid illi  
*loquentes cogitant*, qui ne quidem sciunt, ad loqueland  
 tales partes necessarias esse: *quid cogitat anima rationa-*  
*lis sub masticatione de congrua linguae, maxillarum, la-*  
*biorum, &c. modificatione, sub deglutitione de muscu-*  
*lorum cesophagi, linguae & genarum usu; sub palpebra-*  
*rum occlusione, apertione, sub somno earum obturazione,*  
*sub vigiliis apertione: quid homines cogitant & volunt,*  
*quando obdormiscunt & evigilont, ut claudant & reclu-*  
*dant palpebras: hoc quadrat dictum LUTHERI in Genes.*  
 XXVI. v. 25. *Du weist nicht, daß du lebest, wann du schlafst,*  
*und lebst dennoch gleichwohl; also hast auch gelebet*  
*in Mutter Leib, da du ein klein unruhig Kind warest,*  
*daß du davon auch selbst nicht gewußt hast = = = also kan*  
*die Seele auch ihre eigene Weise haben zu leben, welche*  
*über unsern Verstand ist: conf. cap. 49. v. 33. & SPENE-*  
*RUS dicit in Theol. Bedenken Part. II c. 3. artic. 4. Sect. 2.*  
*p. 390. Es kan eine Erkenntniß in unsrer Seele seyn auch in*  
*Natürlichen, die uns doch nicht so gleich offenbahr ist.*  
*Quotidianum & in omnibus hominibus contingens tale*  
*specimen actionis animæ nec cogitantis nec volentis oc-*  
*currit, in communi, ordinario ac solito organorum sen-*  
*siorum*

*foriorum usū & ministerio, quando non modo libere & fugitive illa tractantur, sed & pro vicissitudine circumstantiarum nunc intenduntur, modo relaxantur, citra attentionem, peculiarem reflexionem, cogitationem & voluntatem: communis enim usus oculorum in visione nec cogitante, nec volente anima, interim ab anima exercetur, quæ quidem deinde singulari instituto attendens & volens illas sensations exercere potest: hoc vero loco de communi & solito sensiorum organorum usu differimus; id autem inde demonstramus, quod anima non semper actus, quos administrat, cogitans & volens exercere debeat. Unde iterum liquet illam rationalem animam certis ordinibus divinitus esse adstrictam, quos non pro lubitu proprio, aut desiderio alterius mutare & violare potest: Sic anima potest oculos conjunctim attollere & deprimere, dextrorum & sinistrorum vertere, sed non potest, licet velit, uno eodemque tempore unum oculum attollere & dextrorum flectere, alterum deprimere aut sinistrorum vertere: aut una aure audire, altera surde scere; quare voluntas etiam illius in usu corporis & organorum ejus diversorum non est universalis, indiferenta & absoluta, sed limitata & restricta.*

## §. V.

Quemadmodum igitur, ut hactenus quadantenus demonstravimus, non omnes actiones animæ, facultati ejus cogitativa & voluntaria subditæ sunt, quas ultimas nec in singulis mentalibus, nec sensitivis operationibus exercere potest, ita peculiarem attentionem meretur observatio influxus animæ activi in omnia ferme sui corporis membra, ubi causæ incorporeæ commercium est,

cum subiecto *corporeo*, ideoque officium plane *alterius* ac  
distinctæ occupationis & destinationis est; ut genera-  
tim ita argumentari liceat: si anima in operationibus  
suis *simpliciter mentalibus*, *intellectualibus* & *idealibus*  
*non absolutam* potestatem habet, *cogitationes suas repræ-*  
*sentativas* & *imaginarias*, aut etiam modificationes *arbi-*  
*trarias* & *voluntarias* exercere & intermischere, eapro-  
pter tanto *minus illa* in functionibus *inferioribus* & *mix-*  
*tis*, ubi cum *corpore suo secundum ordinem divinum*, aut  
*leges divinas* negotia sua tractat, speculations suas *præ-*  
*figurantes* & in ideis *imaginariis* consistentes, aut *liberam*  
*suam voluntatem* interponere, exercere, aut *dictatoris lo-*  
*co* constituere potest & debet: etenim juxta sapientiam  
& beneplacitum Dei factum est, ut hujus *mundani Syste-*  
*matis*, theatri & teconomiæ usus, non nudæ glebæ ter-  
ræ aut *machinæ corporis* comperat, quippe cuius mate-  
rialis massa & constitutio, conformatio, configuratio aut  
ita dicta *fabrica* æque minus quam de *vero & falso*,  
*bono & malo*, utili & inutili, salubri & insalubri, grato  
& adverso, justo & injusto intelligit, ac horologium  
Cartesianum de serie & tempore horarum, aut arietes  
romanorum seu simplices, seu testudinei, vel terebræ  
militares Heronis, aut catapultæ jaculatoriæ, lapideæ vel  
hastatæ, vel cista alia rariorū machinularum, de suo *of-*  
*ficio* atque *usu*, scire, *intelligere* & *cogitare* potuit, quia  
haec facultates non cadunt in *materiam*, quomodounque  
affabre & artificiosissime haec fabrefacta: neque etiam  
*soli*, nudæ, simplici & separata animæ confert aut re-  
fert, quæ cum *corporeo*, spectabili, expanso, in multa  
visibilia subiecta distributo, ac qualitatibus corporeis in-  
structo,

structo, universo & theatro *sine mediis* & instrumentis corporeis iterum nullum commercium habere potuisset: ideo Deus ita ordinavit, ut *anima immaterialis* & rationalis inhabitet *suum organon & domicilium*, ac mediante hoc cum *mundana rerum*, *subjectorum* & qualitatum *viciſſitudine* communionem ineat. Sicut enim magna *diferentia* est *subjectorum*, cum quibus anima rationalis *negotiosa* est, dum *alia subjecta* consistunt in *ideis simplicibus & abstractis*, *alia* in *ideis compositis*, aut sub certa *figura & qualitate materiali* formati, alia denique in corporibus ipsis, ita etiam *specialis & peculiari modus procedendi* cum talibus *subjectis discrepat*; ut propterea *minime* valeat *consequentia*, si anima in *nonnullis* operationibus suis *cogitationem* repræsentantem & *voluntatem* exercere & applicare potest, ideo id in *omnibus negotiis*, quæ ipsi tribuuntur, illas facultates administrare potest, & si *boc non* potest, tunc *illa borum operationum causa esse non potest*: quæ argumentatio ex premissis manifeste *viriosa* est: vi itaque hujus demonstrationis *infirma* est *racionatio*, si *animarationalis natura humana* esset, & *interna* sua viscera moveret, *debet* omnino *bujus officii conscientia* esse, idque *pro libitu* augere, minuere, corriger, mutare, meliorare, omittere, committere &c. Etenim quia in hoc processu functionum *animalium, vitalium & naturalium* anima cum *corporis sui organis* commercium habet, ideo in hoc negotio etiam tales qualitates, *ordines & limites* habet, quibus *haec operatio ab aliis distinguatur*: nam si *boc vitale negotium mere mentale* esset, etiam in illud *simpliciter mentales* quasdam qualitates, *dominium & insituum facilius* exercere posset. Proinde ope-

rationes *animæ accommodatae* esse debent suis *subjectis*; jam vero *subjectum* est universum *corpus*, quoad fluidas & solidas partes: *in illo subjecto* peculiaris viget *oeconomia*, ut in & cum *diversis organis*, *variae* administrentur *functiones*, quæ in toto suo *complexu*, *nexus*, *consensu*, *harmonia*, &c. *vitam* & *sanitatem* constituunt; quid opus igitur esset *in hanc oeconomiam vitalem*, sciolam *cogitationem* & ludicram *voluntatem proxime* immiscere, sicut alias animæ *vires non sunt absolutæ*, sed *limitatae, ultra quos* limites nec *cogitatio*, nec *voluntas* procedere potest, & licet *sæpe* anima sua *voluntate*, suaque *imaginatione* aut *aliter*, aut *ulterius* operari mallet, attamen utraque *hæc actio vana & inanis* *sæpe* est, quoniam non in *omni proposito* & *actu liberam* potestatam habet sua intentione, inventione & speculatione procedere, es geht nicht alles nach eines jeden Sinn, Willen und Kopf.

## §. VI.

Et quia *internæ* illæ actiones, *motus cordis, sanguinis, ventriculi, intestinorum, variarumque aliarum partium* ita *temperate*, lenes, *sedatae & clandestinae* sunt, ita *de illis ad contradicentium desiderium* *craßam cogitationem formare* anima æque minus potest, ac *de subtilioribus meditationibus animi, præsagiis, ominibus, præsensionibus, terribilibus recordationibus &c.* de quibus dicitur, es ahndt sie etwas, sie können sich dies oder jenes nicht aus dem Sinn schlagen, es läge ihnen Tag und Nacht in Gemüth: de quibus etiam nec perspicue *cogitant* homines, nec in quas *liberam voluntatem* exercere possunt: id quod etiam *de suggestionibus, tentationibus, blasphemis & pravis cogitationibus certo* valet respectu; de quibus alias *philosophicas cogitationes*,

tationes, aut *absolutam voluntatem* formare & exercere nequeunt, quas tamen *actiones* anima rationalis perficit, ut huc quadret illud apostolicum, ich thue nicht, was ich will, sondern was ich nicht will, das thue ich. Quoniam iraque anima hæc negotia in suo corpore peragit, ideo *motus tales* instituit, prout *corpori* convenient, & *conservationem* ac *sanationem* illius respiciunt, non prout comica phantasia & frivola voluntas super illas *actio-*  
*nones cognoscere, decernere, disponere & dominari pot-*  
*est, aut sibi arrogat.* Proinde autem anima ita cum *cor-*  
*poris* sui *statu, mutatione, alteratione & vicissitudine* procedit, prout *causæ & circumstantia* requirunt, non prout sciola phantasia argute quasi sentit: v. g. cur ani-  
ma ita crudelis & immisericors esset, ut calculosos, po-  
dagricos, arthriticos dolores, ut febres tam flagrantes instituat, ut cruciatus colicos, vomitus, diarrhoeas, dy-  
fenterias &c. instituat, tantisque tormentibus & periculis corpus suum cruciet, cur non anima ab ejusmodi vexis potius cessaret: facile quidem tales infirmæ exceptiones & incongrua judicia formari possunt; sed per instantiam regerimus, cur anima hominis rationalis in *altis* vitæ hu-  
manæ *periculis*, damnis, necessitatibus, respectibus, intentionibus, propositis, negotiis, commerciis & *intricatis* atque difficilibus circumstantiis, tam *operose*, inde-  
fesse, anxie, enixe, sollicite, scrupulose, multo animi & corporis dolore, enervatione, afflictione, tædio, periculo &c. laborat, & *sibi* æque ac *corpori* suo multas creat vexas: Warum lassen sichs die Menschen in der Welt so blut sauer werden, ut huc quadret P. XC, 10. *potissi-*  
*ma pars æteris, labores sunt & incommoda:* per aspera ad  
*astra,*

astra, & *Prov. XV, 33.* gloriam præcedit molestia, aut afflictio: ast cur hic non *cogitatio* & *voluntas* aliter sentiunt & operantur: vulgo dicitur, es will sich nicht anderst schicken oder thun lassen. Si *phantasia meliorum*, molliorem & suaviorem methodum, eamque *non speculativam*, fictam, captiosam, sed *practicam* suppeditare, hancque animam docere posset, qua calculus e renibus, causa pernicioſa ab articulationibus, tendinibus, membranis, nervis, canalibus, humoribus &c. removeri posset, sane opus construeret, quod huic imaginationi conveniret; sed haec cogitatio *frustranea* & *speculativa* est: ideo *priorem* methodum *naturæ* medici, qui *rationales* esse volunt, suo *artificioſo* auxilio *imitantur*, & in *calculo* remedia ordinant, quæ mediantibus mitioribus *sposmis* calculum expellunt, in *arricitorum* morbis *ratio* adminicula adhibent, quæ *urgentem* sanguinis plenitudinem positive & privative *minunt*, *impuritatem* autem humorum corrigit & removent, in *colica*, illa media commandant, quæ contentam materiam *molestantem* aut *flatulentam*, aut *biliosam*, aut *oescensem*, aut perverse fermentantem &c. *educere* adjuvant, & ita in *reliquis* affectibus: Si autem anima secundum *aliorum* opinionem a talibus motibus *spositicis* & *febrilibus*, aut *evacuationibus* cessaret & desisteret, insuper molestias & dolores evitaret, interim causam illam *perniciosa* in *corpo* *intactam* *relinqueret*, quid commodi inde expectandum esset? imprimis cum *nec medico constaret*, talem noxiā materiam in *corpo* latitare, qui juxta illud, ignoti nulla cupido, *sua arte* & auxilio eidem *resistere* baud posset; si quis autem ulterius exciperet *animæ refugium* in hac explicacione *supervacaneum* esse,

esse, dum tales motus spastici, febriles excretorii &c. *a causa ipsa morbifica* derivari queunt, tunc *novus* inde *status controversiae* emergit, qui *non ad præsens* momentum pertinet, qui præterea solidis rationibus demonstrandus esset, quoniam assertiones, (*materiam peccaminosam* *bujuscemodi* motus *efficere*, fibras nerveas vellicare, premere, distendere, ideoque causari, ut illæ se spastica commotione *constringant*, efficiantque, quo tandem illa materia salutari successu, ejiciatur, & *corpus antea afflictum* nunc ab eadem *liberetur*,) tantum *thesin* aliquam propounderunt, quæ nunc sobriis & validis argumentis *probanda* esset, dum *nondum probata* constat: interim de illo momento, quod *materia noxia*, *noxios* tales *spasticos* causetur motus, quorum *effectus* tamen *forma* & *indole* sua *salutaris*, sed audi quæso! *ex accidenti & fortuito*, evaderet, illud dictum valet *Luc. XI, 13.* quod si *Sathanas a se ipso dissideret*, quo pacto staret ejus regnum, i. e. si *causa morbi effectus salutares* producit, quomodo talis opinio & convarietas consistere potest. Neque etiam *haec* exceptio & *objectione* hoc loco decidenda erit, si *anima rationalis* *corpus suum* movet, cur non *prudentius* cogitat atque vult, dum *tot excessus* committit, & per *bosce* *corpus suum* *interficit*: quo brevibus tantum per *instantiam* regerimus, si *anima rationalis* *cogitans* est, cur *sæpiissime* *perverse*, *confusa* & *erronea* cogitat, & tali *ataxia* sibi *infortunium*, inde ipsam plane *mortem* adsciscit: quod itaque ab eadem in *principaliori*, *morali* videlicet, negotio committi solet, cur non idem ab illa in *inferiori*, nimirum *vitali*, processu fieri queat.

Præterea etiam facultates animæ *cogitans, imaginans* & *volens* rectius ad *superiores* illius vires & operationes spectant, velut *mentales* & *moraes*, quæ sub illarum con-nubio, distinctæ, perfectæ, compleæ & fructuose magis redduntur, dum prior, videlicet *cogitans* ad cognitionis & intellectus *majorem* culturam & efficaciam, hæc autem, nempe *voluntas*, ad *meliorem* & firmiorem illius *applicacionem* inservit, utut cæteroquin *utraque*, prout superius demonstravimus, æque ac singulæ vires animæ suas habent circumscriptiones & *limitatae* sunt: etenim *luxuriosa* ratio admodum *imaginationem* affectat, ubi hæc *repræsentans* cogitatio intellectum deserit: quare alii vi-ribus *ingenii* faciles sibi *imagines* *singunt* & supponunt, quando *reales* deficiunt, hinc aliquando *microscopiorum* & *opticarum* inventionum usum conciliant, LÖWENHO-CII apparitiones, visiones, fanaticismos, Elephantes & balænas congerunt, *corpuscularem* philosophiam conciliant, quæ *præfigurationes* autem sobriis mentibus multis occasionibus valde exostæ sunt, dum *sæpe chimericam* fictionem, nec verisimilitudinem, ne quidem veritatem promittunt; ast *haec* facultates ad *oeconomiam vitalem* di-rectè non necessariæ sunt, quia hæc *simplicem* suum or-dinem compleætitur, qui tamen *rationalibus* nititur modi-ficationibus ac *directorius*, & quidem quoad propor-tionem & relationem gradus, modi, subordinationis, temporis & destinationis cum motuum administratione ob-servandis: quid autem in hoc *processu* *vita* naturalis cogitatio *præfigurans* & *voluntas* subsidiæ & *adjumenti* af-ferre queat, præter nudam *opinionem*, quæ de illo for-matur,

matur, nullo solido arguento demonstrari potest: quodnam inde redundaret emolumentum pro *intellectu* & *corpo ipso*, si anima sibi *præfigurare* posset, quomo<sup>d</sup> cor suum moveat, aut aliam partem, nisi sterilis scien<sup>tia</sup> & multis fallaciis atque *erroribus* obnoxia voluntas: ponimus casum, si *libere* & *pro libitu* cor movere possemus, ac *mutatio motus* cordis contingeret, tunc prius *causa murationis* illius constare debet, ut cum *fructu* olim gradum motus cordi communicare queamus, qui processus si *directorio cogitationis* & voluntatis subditus esset, admodum *alebrosus*, *vexatus*, diffusus, & multis *anomaliis* exppositus etiam esset, imprimis quando genuina & proxima media, quibus *mutatio motus* istius in *meliorem* partem perfici deberet, animæ rationali deficerent; inde vacua & *jejuno* emergeret voluntas; velut si quis vellet ad eximium honorum culmen contendere, & tamen *mediis* & *adminiculis* eo pervenienti plane *orbatus* esset, aut uti recusaret. Exinde denuo fluit *actio-nes animæ*, quatenus sunt *morales* & *simpliciter ideales* cum *physicis* & *vitalibus* noa esse confundendas, sed *utramque regulas*, *ordinem* & *specialem* processum conve-nienter discernendum esse. Veneramur potius *bunc ordinem*, *divinitus* institutum & confirmatum, quod anima *non ludicre* de corporis sui *interna* *economia* *phantasias* & *præfigurations* formare queat; quas enim non quilibet pro facultatis sue *imaginantis* robore, hilaritate, placito & protervitate cum corpore suo *luderet* co-mœdias, sub quibus tandem *sacra veritas* quoad solidam & fructuosam corporis humani cognitionem evilesceret, & *plana* atque patens via ad *fanaticismum medicum* ape-

D 2

rire tur:

riretur: non dispar quid contingere, si anima *absolutam*, liberam & *indiscretam* voluntatem haberet, *internis* sui corporis organis utendi, eaque *pro nutu* dirigendi; inde sane *perversissimi* processus metuendi essent, si *prævia cogitatio confusa* & *speculatoria* cum voluntate *communem* faceret causam, unde in omnibus subjectis *economiae* vitalis perniciosa *perturbatio* & *destructio* certius extimescenda erit: ita enim contingere, ut *ordini* vitali, *aliter* *disposito*, *prædictæ* animæ qualitates illatas quasi manus & in rem *alienam* se imminiserent, unde pro *conservatione* corporis, alias valde *fragili*, parum utilitatis *expectandum* & *promittendum* esset: Sufficit *observeare*, quod in variis casibus nonnullæ operationes mentis *subtili modo* cum motibus *vitalibus conspirent*, id quod speciali tractatione demonstravit D.D.P.RÆSES *disp. de Sensuum internorum insu xu in economiam vitalem*, & de *Phantosie usu, lusu & abusu in Medicina*, nec non de *Siratogematica Medicina*. Haud itaque ulla ratio & necessitas postulat, ut *crosso* quodam modo *cogitatio* & *voluntas* in ordinem *vitalem* irruat, & *dominium* suum *absolutum* ac *manifestum* exerceat.

## §. VIII.

Superius modo in transitu dictum fuit, quod anima rationalis *loquela* formatrix sit, attamen adhuc notamus, quod illa in *communi* sermocinandi more respectu ipsarum *vocum* proferendarum & formandarum *nec cogitationem* de combinandis & enunciandis literis & vocibus, *nec exactam semper* voluntatem circa quaslibet voces edicendas, exerceat, sed *citius* animi sui sensa edifferat, antequam *speculatorias* suas *cogitationes* & firmam suam *volun-*

*voluntarem* super illa formavit: quid inquam anima rationalis *cogitat*, quod & quomodo *idearum* suarum *numerum*, *nexus* & *seriem* in *organa* vocis transferat. Vix facile quisquam sibi aliisque persuadebit, animam tantum ideas formare, corpus autem per *fabricam articulatas* voces edere, & tubam acusticam, aut fistulam coturnicu[m] ein *Sprach-Nohr* oder *Wachtel-Pfeiffe* imitari, animam vero *positive*, *directe* & *active* *nihil eo*, nisi mediante & vi occultæ illius qualitatibus, quam *unionem* animæ cum corpore vocant, & pro *asyllo* usurpant, contribuere. Huc pertinet consideratio virtuosorum & artificiorum *musicorum*, qui schema quoddam musicum præscriptum & oculis præpositum multifariis longis & brevibus, caudatis, aduncatis, extensis tonis & notis, profundis & altis, nunc tremulis, modo salientibus & capri-zantibus tam celeriter, ore decantare & digitis velocissimis procurare possunt, ut, dum *anima eorum*, non *machina corporis*, tale quid *efficit*, disponit & format, licet hæc *instrumentoli* causandi nexus huc contribuat, *nihil* tamen de *speciali* horum *ordinatione* cogitet, aut voluntate sua deliberante disponat, sed potius hanc proferat rationem, dieß habe man schon in Grieß, in der Geschicklichkeit und Fertigkeit, und dürffe nicht viel drauf dencken. Si porro *mente corporum* & *præcipue furiosorum* actiones inquirimus & dijudicamus, quis non illorum *insanas* & *confusas* sermocinationes, cantationes, elocationes, vociferationes, gesticulationes, saltationes & diversos tumultus ab *anima perturbata* atque vesana provenire judicaverit? quid autem hæc de illis actionibus cogiter, & quo voluntatis dominio illas exerceat,

D 3

nec

nec concipere, nec afferere licebit: nec sufficerit hic excipere velle, quod in *tali* statu anima rationalis *furia*-*sa* sit; interim id hoc specimine demonstrare placuit, quod anima *corrupte* & *perverse rationalis* motus in cor-  
pore, licet nec ordinatae connectentes, nec ad fines con-  
venienter transeuntes, attamen *nec cogitans, nec volens*  
exerceat: Si quis porro insistere & excipere mallet, in  
talibus furiosis actibus animam ita cogitare & volunta-  
tem exercere, prout praesenti conditioni ejus compe-  
tit, quod quidem adeo distincte exprimi haud potest:  
ast si haec excusatio & assertio alicujus valoris est, tunc  
idem jus nobis competit, tale quid de anima praedicare  
& asseverare, quando in *vitali* ceconomia operosa est:  
id quod etiam diserte D. PRÆSES in *alleg. disp. de Sen-  
suum internorum usu in econ. vital.* demonstravit. Quid  
præterea sentiendum erit de dormientium multorum lo-  
quela, tremore terribili, *timore, angore, clamore, plora-  
tu*, ut & membrorum commotione, jactigatione, cachin-  
no, & quorundam somnambulatione: haud enim facile  
quisquam nobis persuadere poterit, tales actiones, licet  
in *vigilantibus* ab anima *rationali* proveniant, in *dor-  
mientibus* sine illa a causis *corporeis* dependere, quam-  
vis suo jam tempore *Platonici Philosophi*, nec non *Pro-  
clus & Alcibiades* in *insomniorum* explicatione ad *ani-  
mum* ejusque *nexus* cum *corpore* & *vita naturali* provo-  
caverint, *conf. REJES in Camp. Elys. juc. qu. 37. n. 18.*  
Quod quidem sub *Somno per Insomnia* anima *phantasia*  
operatione valde negotiosa sit, non indiget demonstra-  
tione, unde aliqui existimarunt per somnum illam in-  
tensius cogitare *juxta VALESIUM in Philos. Sacr. c. 30.*

p. 210.

p. 210. SCALIGERUM Exercit. 289. (quamvis hisce non indiscretim suffragemur) tamen de nominatis actibus, quos illa committit, ut plurimum nec cogitat quicquam, nec voluntarie directorum gerit: quo refiri etiam possunt ille observationes, de personis, quæ sub somno ad interrogations accurate & articulate respondere potuerunt, quibus evigilantibus omnia hæc plane incognita fuerant, vid. A. N. C. Dec. 3. An. 4. obs. 27. Quæ singula exempla, indies obvia, abunde testantur, *animam in & cum corpore suo esse operosam*, nec tamen de hisce motibus cogitare, nec voluntatem in illos exercere. Et quæ non *varia alia actiones sub vigiliarum statu ab anima peraguntur*, quæ sub somno evenientes nec cogitationis, nec voluntatis influxum & dominium agnoscunt, velut *apertio & occlusio palpebrarum*, *deglutitio* dormitientium, *respiratio* dormientium, excretio alvi & urinæ, quæ sub *vigiliorum* statu communiter animæ moderationi submissa est, sub somno autem sœpe *involuntarie in sonis hominibus contingunt*.

## §. IX.

Cum inter alia momenta ab *exemplis & exquisitis motuum speciminibus demonstrationem & præsentis thematis probationem formaverimus*, ita adhuc unum & alterum tale *specimen quotidiana observationis producemos*: magni utique momenti sunt variae actiones *consuetudinales*, sive sint *cœra loquendi formulae*, sive cœrorum externorum *membrorum motus*, *voluntariis alias directionibus subditi*, quæ actiones, *extra consuetudinem* qualitatem exercitae, ex parte cogitationi & voluntati subjectæ sunt: si vero jam fugitiva *consuetudine admi-*

administrantur, tunc quidem *non a fabrica corporis*, sed *anima rationali*, quæ alias illas edidit, perficiuntur, quæ autem *nec attendens*, *nec cogitans*, *nec volens* eas commisit; quare si quis tales homines ob præstitas hujuscemodi malas præcipue consuetudines, obscenæ aut scandalosæ locutiones, vel ridiculas gesticulationes commonefecerit, easque improbaverit, illi actionum gestarum plane *immemores* & ignari sunt: manifesto iterum testimonio, animam rationalem quicquam operari posse, de quo nec cogitat, nec voluntatem exercet: ut propterea iterum non infallibilis consecutio sit, quod anima absolute & semper, quicquid proxime agit, cogitationis & voluntatis actu comitari & dirigere debeat: ubi iterum *excepio* illa *non sufficit*, nec demonstrationem nostram enervat, quod *olio* actionis ordine anima de talibus operationibus & cogitationis & voluntatis actum exercere queat: nos hoc exemplo id solum indicare & probare voluimus, *non indiscretim omnes* actus animæ *absoluto* imperio cogitationis & voluntatis subjectos esse. Ita etiam contingit, ut anima vigilans & sana mente prædicta aperiatis oculis objecta proximiùs obversantia, *baud cogitantes* videat, quando *internus sensus* cum attentione *alteri* cuidam *idea* inhaeret, ut hoc quadanterus applicari possit illud TERTULLIANI Lib. de anima c. 18. *difficillimum est sobriam invenire mentem, & quæ suis jugiter intenta sit objectis.* Si subito objecta & *idea* animam prætereunt, quid quæsto de illis cogitat, cum ne tempus quidem de illis cogitationem informandi superfuerit. Quid cogitat, quid vult de ideis, quæ in *dubia fluctuant memoria*, da man sich auf etwas nicht besinnen kan, es liege

siege einen auf der Zunge, man könne nicht darauf kommen. Quid porro anima cogitat, & quid voluntatis habet quoad *interna varicinia*, es ahndt einen etwas, quæ occurunt in mentibus *intima amicitia conjunctis*: quid de *sympathia & antipathia*, sub qua ingens & fortis affectus animi occurrit, quid præterea cogitat & vult in *consensu & dissensu* animorum, in der natürlichen Zuneiung und Abgunst der Gemüther, sine *manifesta causa*, qualem distinctum conceptum quisquam de hoc consensu formare poterit, nisi per petitionem principii regerat, er hat etwas an sich, welches sich mit meinem Gemüth verträgt, harmonirt: quid autem valeat voluntas in convertendo consensu & dissensu illo naturali, facile patescit. Quid potestatis habet anima, quoad cogitationem & voluntatem in connatis *bæreditoris* qualitatibus ad *animi præcipue vires attinentibus*; quid sibi quisquam concipit de *facundo*, suo animo, de *celeri ingenio*, de *acuto judicio*, de *firma memoria*, de efficacia & præstantia inventionum, de *agili capacitate*, daß man sich geschwind in alles schickē könne: quale ius habet *voluntas* in *mutandis*, minuendis, temperandis, augendis talibus facultatum gradibus *bæreditoris*, was einem angebohren ist, de quo dicunt: er kan es nicht lassen, es ist ihm angebohren. Quid anima cogitat, quidve vult & deliberat, de *morum suorum nexus cum sanitate & morbis*, si quis *tranquilli*, ordinati, *moderati*, sedati, pacifici animi est, quod ejusdem gradus sit processus *vita, sanitatis & morborum*, ut propterea medici de *talibus hominibus* facilius *faustos* successus expectare & *præsigre* queant: & quam parum de *hoc consensu*, in facto

E

certo,

certo, firmo & indubio, anima cogitat, præter id, quod  
*fiat*, non alia indiget probatione: quid autem voluntas  
valeat in mutando hoc nexu, mox etiam liquet: inde  
eloquuntur, wie sein Sinn und Gemüth, so gelebt, so  
gekrancket, so gestorben: verkehrt gelebt, verkehrt gekrancket,  
verkehrt gestorben: sed quis potest hunc consensum li-  
bera animi voluntate corrigere. Idem etiam valet seor-  
sim de Morum & Morborum nexu, quod argumentum  
peculiari *diff.* D. D. PRÆSES explicavit, cur sub *obstina-*  
*tis, diuturnis & pertinacibus morbis, animus morosus,*  
*alienus, impatiens, tædiosus, rixosus, &c.* reddatur, quid  
cogitat, quid vult anima, quoad hanc *metamorphosim*,  
dum præter *factum ipsum nibil aliud* in phantasiam  
cadit.

## §. X.

Pauca adhuc specimina noratu digna & evidenter  
præcedentibus addere lubet, quibus *narratio demonstrare* possumus: animam *certas* operationes exerce-  
re, in quas *nec cogitatione, nec voluntate* influere potest:  
ex hisce proxime occurunt *nævi materni*, qui *imagina-*  
*tione* quidem concipiuntur, sed sub directorio cogitatio-  
nis, nec propagantur, nec generantur, sed *in scia* anima  
in *abscondito* formantur: vix aliter judicare licebit, hos  
nævos ab illa *firma, fortis, anxia, & pertinaci imagina-*  
*tione* provenire: *quomodo* vero tales ideae transferantur  
ab anima *matris* e *cerebro* ejus in *uterum* & illico decum-  
bentem *fætum*, hujus *corpus*, & præcipue in *exquisi-*  
*tum* locum ejus, scire negant & recusant; in hoc autem  
negotio sive immediate, sive mediate anima operosa sit,  
ipsa anima nec cogitat, quod hoc efficiat, nec voluntate  
actum

aetum talem dirigit, & si mater de tali imaginatione *solicita* est, ne foetu suo infensa sit, imo si voluntate sua proponit, ne noceat, nihilosecius interea ipsa deformatio clanculum in foetu contingit: quod in parallelissimo idem est, ac si exciperemus, si anima cor moveret, deberet hujus motus conscientia esse, eumque pro arbitrio mutare: ast cur utrumque non potest, in formatione navorum maternorum, quorum tamen causa principalis & efficiens est. Aliud Specimen manifestum occurrat, in quotidianis *animi affectibus*, *corpus alterantibus* & vel sublevantibus, vel perturbantibus, talia pattemata in omnes *partes corporis fluidas & solidas*, in omnia *organa*, in omnes *functiones* influxum habent effectivum, unde etiam omnes *mores* alterantur: haec alteratio sive *mediate*, sive *immediate* ab *anima* provenerit, originaliter & principaliter tamen ab illa dependet, sive modum fiendi sciamus, sive nesciamus: *prima* tamen causa manifesta est *anima*: ast *quid haec cogitat aut vult*, quando mutationes tales contingunt: si velimus excipere haec fieri, *vi unionis animae cum corpore*, quam Deus ita ordinavit, ut *modus fiendi* nobis *scitu non sit* necessarius: ast quis vitio etiam nobis vertat, si idem dixerimus, animam nec cogitando, nec volendo *interne economiae vitalis* praesidium tenere, *vi unionis* ejus cum corpore, quam Deus constituit, ubi *effetus luculentus* est, licet modum fiendi non ratione assequamur, nam si haec exceptio *contradicenti* parti licita est, cur non alteri *affirmanti* aequali & aequo jure eadem competat: nam hoc nostrum momentum & argumentum obrepitium appellare, & accusare velle, quia *adversam partem* in angustias

E 2

addu-

adducit, & aperte convincit, id nec dirimit litem, nec  
 solidam complectitur rationem, sed *petitionem principiū*  
 olet, & contradictem *extra choream* saltare indicat:  
 nec in hoc argumento *cardo rei in eo* vertitur, an ani-  
 ma rationalis *bisce patheticis motibus obſer*, an *proficit*,  
 quod thema modo ventilatum est in *diff. D. D. PRÆSI-*  
*DIS de Affectionum animi effectu medico:* sed *de eo impi-*  
*mis tractatur*, an anima *barum* alterationum, in *corpore*  
*occurrentium*, causa sit *efficiens*, quod *nulla* sobria ratio-  
*ne negari* poterit, & an in hasce alterationes cogitatio  
 & voluntas ullum jus habeat, facile liquet. Quid tan-  
 dem de singulis *motibus voluntariis* dicamus: quod *ra-*  
*tiones motus locales anima* rationalis aut velit, aut non velit  
 sub vigiliarum, insuper etiam *naturali* saniratis, statu  
 exercere, nullus facile negaverit, ideo etiam *voluntarii*  
 vocantur: quæ vero ratiocinia, & quas cogitationes de  
 illis anima format, nondum liquet: id quidem scit, *quod*  
*tales motus exerceat*; quodsi autem *intentionem & or-*  
*tentionem* ab ejusmodi motibus abstraxerit? si forsitan  
 quisquam in *ordinariis* suis negotiis *operosus* est, & mag-  
 is ad successum & finem *illorum* motuum *attentus*, aut  
 plane in fuga & præcipitata negotiorum suorum prose-  
 cutione constitutus fuerit, *quid tunc* quæſo cogitat aut  
 vult, quoad motuum illorum exercitationem: si quis  
 inter atnicam compellationem cum aliquo altiores gra-  
 dus aut scalam ascendit, aut celeri cursu ab hostibus aut  
 aliis persecutoribus in fugam actus super fossam salit,  
*quid tunc de hoc motu*, ejus *gradu, moderamine, men-*  
*sura, distantia &c. cogitat & vult*: quid tritor sub tri-  
 tura & tribulariū direktionē cogitat de brachiorum suo-  
 rum

rum motu: ut nihil dicamus de cogitationis & volunta-  
tis influxu & cooperatione in *muscularum* ad *tales* fun-  
ctiones necessiorum, *speciali* applicatione & modifi-  
catione: in quo specimine motuum voluntariorum, in  
tantum quidem sub *vigiliarum* statu, *sibi conscientia* est, quod  
motus illos exerceat, si videlicet ad illos *attenta* est, de  
quibus autem *sub somno*, *incuria* & *negligentia*, nec *co-*  
*citationem*, nec *voluntatem* exercet. Interea haud con-  
cludere licet, si in *talibus localibus* motibus anima ratio-  
nalis *cognitionem* & *voluntatem* exercere potest, neces-  
sario *in omnibus* operationibus, quas illa perficit, idem  
præstare debet: nam *desequum* & *fallaciam consequentia*  
in præcedentibus & *rationibus* & *exemplis* probavimus:  
etenim *bi motus locales* animæ plurimum *moreibus*, aut  
singularibus scopis & usibus acquirendis ministrant, ut  
propterea *non ab uno ad alterum* concludere debeamus:  
neque etiam facultates *cognitionis* & *voluntatis univer-*  
*sales*, *indefinitæ* & *absolutæ* sunt, juxta *superius* demon-  
strata; hinc vitiosa esset argumentatio, si anima *in non-*  
*nullis* operibus cognitionem & voluntatem immiscere  
potest, ergo *omnes reliquæ* actiones, quæ dominium  
cognitionis & voluntatis *non admittunt*, etiam ab *ovi-*  
*ma non* dependent: cujus *conclusionis errorem* præce-  
dientia Specimina & exempla probant.

## §. XI.

Et cur adeo rigorose hoc *imperium utriusque* fa-  
cultatis *in omnibus* operationibus animæ urgeamus.  
Dantur enim *quotidiani* casus, quibus probari potest ani-  
mam *olio tempore*, quando in negotio quodam *non exer-*

E 3

citata

circa est, nec cogitationem, nec voluntatem exequi posse: inde obtestationes illae audiuntur, ich kan mir nicht einbilden, daß dieses menschlich und möglich sey: in *cervis exercitationibus corporis & partium singularium, ab initio omnia membra iacepta esse* videntur, ad talen aliamque morus speciem proferendam: etiamsi tyrones & discipuli hujuscemodi omnes nervos intendant, sicutnamque voluntatem applicant, tamen actiones pro *arbitrio perfici* haud possunt, inde exclamations, sie fünnens nicht begreifen, ob sie sich gleich alle Mühe geben: & qui ob *mirabilem mentem ac rædiosum animum negotium quoddam pro derelicto* habent, habitum talen *nunquam* acquirunt, quem *alii* tamen, ob assiduam & patientem *attentionem, inclinationem, & applicationem* commode impetraverant: *ab initio in tales membrorum appositas atque peritas exercitationes nec cogitatio, nec voluntas ullum habet valorem: post obtentam autem aptitudinem utraque facultas cum multis corporis motionibus commercium habet: quem habitum itaque multi non habent, ob neglectam applicationem, illum tamen nonnulli possidere possunt: inde illæ locutiones innotuere, sie haben sich nicht drauf gelegt, oder sie haben sich nicht eigentlich drauf applicirt: sie haben sich in dieser Sache keine Mühe gegeben: ob id aliquibus talis *habitus per notitiam implanatur & communicatur: id quod de nonnullis selectis & exquisitis artistis prædicatur, es ist ihm angebohren.* Interea *varia* innotuere actiones in *corpo* administratæ, quas quidam secundum *voluntatem* exercere, multi autem *non idem* præstare potuerant: recensentur historiæ de viro, qui *Hæmorrhoides* pro*

pro intentione reserare & retinere potuit apud PANAROLUM Pentec. 2. obs. 47. GVARINONIUM cons. 112.  
 FROMMANNUM de Hamorrhoid. Part. I. probl. 25. p. 119.  
 de Homine qui quoties volebat Paralyticus siebat, iterumque ad sanitatem redibat, apud AUGUSTINUM de Civit.  
 Dei. Lib. XIV. Caelum RHODIGINUM Antiqu. Lect.  
 Lib. XX. c. 16. Casp. REJES Comp. Elys. juc. quæst. 50. &  
 81. n. 1. 2. AVICENNAM, NIEREMBERGUM Lib. 2. curios.  
 philos. c. 13. De Sudore voluntario vid. BARTHOLINUS  
 Act. Haffn. Vol. 4. obs. 82. p. 192. AUGUSTINUS l. c. c. 23.  
 FIENUS de viribus imaginationis conclus. 19. p. 44. GARMANNUS de mirac. more. Lib. II. tit. 6. f. 68. de Homine  
 qui ad voluntatem mortem simulare potuit, vid. Cal.  
 RHODIGINUS l. c. TERTULLIANUS Lib. de anima &  
 PLINIUS H. N. Lib. VII. c. 52. de Hermotino Philoso-  
 pho antiquo referunt, quod, quoties volebat, in Ecstas  
 profundem raperetur, ita ut neque lancingiones aut pun-  
 ctiones, neque de admoto igne sentiret quidpiam: ta-  
 lem historiam allegat quoque CARDANUS Lib. II. Con-  
 trad. tract. 2. contrad. 7. ex Avicenna de animalibus RE-  
 JES qu. 81. n. 1. Sic RIEDLINUS Car. Med. obs. 26. re-  
 fert historiam de quodam, qui pro lubitu uulam modo  
 exserevere, modo oculis denuo subtrahere potuit, tit. Uvula  
 voluntarius morus. Et quid de illis subjectis judicemus,  
 quæ ob præsentiam & possessionem certorum instrumen-  
 torum, quibus a naturitate dotati sunt, certas partes ex-  
 traordinario & insolito more movere poterant, quas alii  
 ob defectum illorum instrumentorum immobiles gestave-  
 rant: ita plurimi homines immobiles habent aures, quia  
 talibus musculari, sicut quædam animalia, ad movendas

aures

aures idoneis, prædicti haud sunt: ob id *Ovidius* existimat Midam non humanas habuisse aures, sed brutinas, quia mobiles fuerant. *Metamorphb.* II. 4. 29. sq. non de-sunt tamen exempla hominum, qui pro lubitu aures movere & cutem crani corrigare poterant, quia huc spectantibus instrumentis prædicti erant. Si itaque homines ejusmodi muscularis & idoneis instrumentis instructi essent, quibus cor, ventriculum, intestina &c. ad nutum & arbitrium movere possent, idem omnino ad desiderium contradicentium anima rationalis efficere posset.

## §. XII.

Nihil itaque superest, quam quod fortassis excipere liceret, ego tamen concipere non possum, quod & quomodo anima rationalis internas sui corporis partes movere queat; quæ exceptio autem ex præcedentibus facile decidi potest; addimus autem illustrationis gratia trium Theologorum effatum, primum est LUTHERI in der Kirchen-Postill F. adscens. Mariae: Wir wissen und fühlens gewiß, daß wir leben, und wissen doch auch nicht wie? in der Haßs-Postill F. Trinit. Conc. i. ich kan nicht Ursach anzeigen, was sehen und lachen sey = = kein Mensch ist je auf Erden kommen, der eigentlich könne sagen, wie es doch zugehe, daß ein Mensch mit seinen Augen sehe, mit dem Mund reden und lachen soll. Kannst du doch, armer Mensch, wenn du gleich aller Weltweisen Kunst zu Hülfe nimmst, nicht wissen, wie es zugehe, daß du lachest, und mit deinen Augen über zehn Meil Weges einen hohen Berg siehest: item wenn du schlafst, sage mir, wie gehets zu, daß du dem Leib nach todt bist, und doch lebest; wir können das geringste von uns selber nicht wissen = = warum fragen wir nicht,

nicht, wo doch unsre Ohren, Augen und andere Glieder mit ihrer Wirkung bleiben, wenn wir schlafen? Deinde DANNHAUERUS in *Lacte Catech. Part. VIII.* p. 54. inquit: Ja sprichst du, rem scio, modum ignoror! o! asylum ignorantiae: mich sättigt die Sache elichermaßen zu verstehen, wann ich gleich den modum und die Weise, wie es mit einem und dem andern hergehet, nicht verstehe: ich begehrte kein Quomodist oder Nicodemist zu werden. Et tandem P. ANTON. in *Harmon. Evangel. II. Th. Lect. 72.* p. 386. Man hält sich sonst immer mit dem quare auf, so daß ein Büchelgen geschrieben ist de *Secta Quarissorum*, die mit dem quare immer in die Queere einsfallen & p. 390. ich kan das nicht begreissen: quicquid ego non possum comprehendere (der Ego ist ein grosser Herr) illud non est verum: so spricht der andere billig: was soll dein Ego seyn. Idem dicit in *Colleg. antirbet.* p. 131. Ey nun quod ego non intelligo, das werfe ich weg! Ey: Ey! was ist das vor ein Ego? das ist ein wunderliches Ego! & p. 338. *Ego non capio: quicquid aurem Ego non capio, Ego Academicus, Ego Latinulus, illud etiam non est verum.* Et quid denique judicandum erit de illa sententia, quod *a-nima rationalis rantum motus turbare, pervertere & confundere, ideoque suo activo influxu nec cogitans, nec volens ordinem vitæ & sanitatis violore, offendere & corrumpere, non vero æquoli activitate, sine crossa cogitatione & remeraria voluntate oeconomiam viralem regere, sublevare & promovere queat: quod aliis, secundum æquitatem judicantibus, facile velut manifestum præjudicium videri potest, quando animæ, quippe causæ principaliori major facultas derogatur, corpori vero tan-*

F

quam

quam subiecto *ignobiliori* & fere mere passivo, illa *eminentior* qualitas perperam, nudo partium studio, tribuitur, quia anima ex præscriptis legibus *mechanicis* *corpus movere non* debet, licet *hæ posteriores* opiniones *absolute veræ esse* debeat, utcunque *speciales demonstraciones* & *applicationes ad hominem*, aut *machinam animatam & vivam* valde *dificiant*: Sed ne profundius in hunc textum atque scrupulum delabamur, ulteriores nostras meditationes contrahimus, spe illa erecti, quod pomposam & magniloquam illam objectionem, quasi anima rationalis proptera operationibus vitalibus & naturalibus fungi nequeat, quia de illis nec imaginariam cogitationem formare, nec libera voluntate in eas dominari potest, hoc themate declinaverimus, insuper autem rationibus, observationibus, exemplis, instantiis appositis dimoverimus, imprimis autem demonstraverimus hanc objectionem minime omnium firmam & solidam, sed ficalneam, insuper principiis philosophicis, psychophicis & medicis plane contrariam esse, unde Theoria Stahliana nullum damnum inde vereri debet, nec unquam metuit, ne autem præjudicium ex hac objectione oriatur, ideo placuit peculiari instituto hoc momentum ventilare & explicare: quare Benignissimo Deo pro præstito ad hunc laborem almo auxilio devotissimas agimus gratias, insuper clementiam cœlestem imploramus, ut præsentem laborem sua gratia & benedictione prosequatur, quo veritas magis agnoscatur & aestimetur, vagæ autem opinones evitentur, atque ita ab hac deductione & demonstratione utilis obtineatur.

F I N I S.

DILE-

# DILECTO CANDIDATO

SALUTEM ET FELICITATEM

O P T A T

P R A E S E S .

**Q**Uatriennium jam effluxit, quo sub mea manuductione in Philosophico & Medico studio prosperos, ut spero, progressus fecisti; quid quod tria circumacta sunt lustra, quibus mea educatione atque cura fructus es, dum parentibus orbatus, propinqua cognatione mecum conjunctus, Parentum vices arque officia tibi praestiti. Eo igitur divina providentia vita & studiorum tuorum accrumenta direxit, ut proprio labore Deo, proximo & bono publico vires, profectus & industriam nunc dicare & applicare possis: Sicut enim Medicum studium per singulas partes & disciplinas bis sedula auscultatione felici successu tractasti, ita dum ad publicos honores adspirare contendis, ac approbationem solem acquirere anniteris, in consuetis examinibus profectus, talibus privilegiis dignos, probasti. Etut ordini ac statutis facias satis, praesenti Specimine Inaugurali mixtum thema ven-

tilandum selegisti, quod consideratu dignum & fru-  
etuum est. Non deficiunt quidem exempla, non-  
nullorum, qui scrutinium animæ quoad vires & ope-  
rations expatescunt, licet Philosophia rationalis &  
moralis principali occupatione circa animam ver-  
seatur, cuius commercium mediabitibus instrumentis  
corporeis cum objectis materialibus & manifestum  
& amplificum est: Et dum corpus sine anima nec  
vivit, nec humanis functionibus inseruit, ideo me-  
dicorum officium est, ut nexus animæ cum vita  
naturali solertius inquirant, atque curatius explicit.  
Immo dum anima ordinem vitæ adjuvare & promo-  
vere, vicissim etiam turbare & pervertere potest,  
ideo Medicis incumbit, ut prius omni studio salu-  
taribus consiliis & auxiliis sublevent & prosequan-  
tur, posteriori autem declinet & avertant. In di-  
gitationem igitur & honorem artis medicæ cedit ani-  
mæ etiam curam habere; sicut *Plato in Cratillo* in-  
quit: *munus medici est, corporis animique puritatem*  
*servore:* nam anima operatur in corpore, & hoc ite-  
rum afficit alteratque animam: ita *Hipp.*, *L. de flatb.*  
asserit, *sanguinis* varietatem variare mentem, & *Da-*  
*mascenus* testatur, quod *corporis temperaturo animi af-*  
*fectibus semper cobareat.* Et quid opus est tot testi-  
bus hanc veritatem confirmare, siquidem quotidiana  
& innumerata documenta effectuum illam com-  
probant. Utile igitur argumentum præsentis Spe-  
ciminis selegisti, quod nobilioris & dignioris partis,  
hominem constituentis, influxum & potestatem in  
œconomiam vitæ naturalis illustrat. Felicem nunc  
decursum & exitum studiorum Tuorum Academi-  
corum

corum bonis comitor votis. Age porro & ulterioribus incrementis profectus Tuos adauge: ante omnia devotis precibus ac vita integritate ad honestos conatus cœlestem benedictionem assequere: Annuat illis divina clementia optimis successibus, imitare ingenua mente salutaria mea monita & præcepta, certusve sis ac largiter experiaris animum meum de prosperitate Tua semper fuisse & futurum esse bene cupientem atque sollicitum: ita voti mei ero compos & laborum meorum merces in Tua acquiescent salute. Vale. Dab. Halæ Magdeb. VI. Iduum August. A. R. S. cœlœcccxliv.

**C**Arior an quisquam poterit mortalibus esse  
Prudenti Medico? Quis tanto dignus amore  
Aut cuinam maior, praestanda videbitur ipsis  
Quam curatori vitae, reuerentia? Num quid  
Possidet ullus homo suavi pretiosior aura  
Vitali, quam quo diurnior esse inberatur  
A rerum Domino, tanto quoque longius optat  
Hanc conseruari. Pater hinc fiducia summa  
Quos ponunt in eos, quos almus Apollo paravit,  
Instruxit, docuit, vitam committere caram  
His nunquam dubitant, si morbus saeuit acerbus  
Si corpus languens febri iactatur ex aestu,  
Si macerant artus diri tormenta doloris  
Si pertaesæ fugit mens quos dilexerat ante,  
Laetitiaque expers consortia cuncta recusat:  
Tunc desiderium medicos modo fertur in aptos

Cautos ac celebres. Non gratior aderit ullus  
Proscriptis caeteris, hi saepe vocantur, ut aegr*o*  
Rebus in angustis dulci lenimine praesint  
Ac vigili cura properantia fata repellant.  
Huic hominum generi quoque T*v* vir amande Co-  
lende  
Te nunc adsorias ut eodem iure fruaris.  
Apprecor hinc animo teneri, ne suauior unquam  
Quam T*V*A sit miseric aegris praesentia, T*v* que  
Quae cupiunt explere queas, ac singula coepita  
Cunctis commendent se prosperitate perenni.

CHRISTIANVS SIEGISM. BECKER,  
Medicinae Doctor.

Monsieur,

*J*L n'y a rien au monde, qui me puisse étre plus  
agréable, que l'bonneur de jouir de votre conver-  
sation, la quelle a été toujours si sincere & fidèle,  
que je me puis flatter d'être entre le nombre de vos Amis.  
Et la conversation & l'amitié est plus établie pendant ce  
tems, que nous avons été tous deux Compagnons de poile;  
C'est pourquoi il m'affigera fort, de n'avoir pas plus le  
plaisir de Vous voir chez moi: mais l'unique consolation,  
qui me reste, c'est, que votre départ de moi ne sera pas  
trop loin & ainsi je puis avoir d'avantage l'bonneur de  
cont-

continuer avec Vous la conversation & l'amitié. Mais à cette heure je viens Vous féliciter du bonheur, que Vous arrivera aujourd'hui en recevant le chapeau de Docteur. C'est votre mérite & votre erudition, qui Vous le fait acquérir. Je suis le meilleur témoin de l'industrie & de l'attachement que Vous avés eu toujours pour les études & tout cela ne Vous peut attirer que beaucoup d'honneur & d'estime. Acceptez donc le prix Doctoral, que Vos solides & belles sciences méritent & demandent. Cependant je souhaite de tout mon cœur que le bon Dieu veuille bénir toutes vos entreprises dans vos cures, à fin qu'ils servent pour augmenter la gloire de Dieu & pour célébrer votre nom. Au reste je Vous prie instamment de me daigner à l'avenir de votre estimable amitié. Pour moi, sois persuadé, que je serai jusqu'à la fin de ma vie

Monsieur

Votre sincere Ami  
& Serviteur

H. C. RENNEWALD, Goslarien,  
Cand. en Med. Opposant.

---

**Q** Vidquid Arabs, quidquid Danaum gens, terna  
propago  
Phorci, vel quidquid Scythici trux incola Ponti,  
Et quo quisque modo Divum, hominumque recentes  
Effarint: mentem Divino Semine cretam

Ur,

Ut, vitam renovet iaspam, vitamque tuetur  
Mitibusque æternas repararit solibus umbras,  
Doce hanc TV FAVTOR Schediasmate digeris  
  artem,  
Quod supereft igitur, Numen TVA cæpta secundet.

Hale, die 6. Aug.  
1744.

His paucis Doctissimo, meritissimoque  
D.D. Doctorando, amico æstima-  
tissimo gratulatur, seque ulteriori fa-  
vori commendat

F. WELTZ, Schwidnitio Silesius,  
Med. Cult. Opponens.



He 157. 8°

?

ULB Halle  
002 179 687

3



sb





5

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**ANIMA NEC COGITANTE, NEC VOLENTE, CORPUS  
SUUM INTERNUM MOVENTE,**

Ob die Seele ihren Leib innerlich ohne Wissen und Willen  
bewegen könne?

*Quam*  
AUSPICE DEO PROPITIO,  
Et Consensu atque Auctoritate Gratiosae Facultatis Medicae,  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P R A E S I D E

**DN. D. MICHAEL ALBERTI,**

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO. ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.  
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

**PRO GRADU DOCTORIS**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HONIS LUCOQUE CONVENTIS,

ANNO MDCCXLIV. D. AUG.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SURJICET

RESPONDENS

**GEORG GOTTFRIED WENDT,**  
HALENSIS MAGDEBURGICUS.

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELI, ACAD. TYPOGR.*